Fragmentarium

Huius autem diei apostolus ad hebreos scribens ita meminit ;
In priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificio
rum officia consummantes ; In secundo autem semel in anno
solus pontifex non sine sanguine quem offerret &c. quibus dictis huius
misterium pandens ihm ostendit pontificem esse uerum =
qui consummatis officii sui diebus hoc est impleta dispensatione
carnis in sanguine proprio caeli secreta subiit ut propitium nobis
faceret patrem et interpellaret pro peccatis eorum ; Qui adhuc
pro foribus orantes expectant et diligunt aduentum eius ;
Pulcre igitur eadie discensio eius per angelum nuntiatur qua eius
per legem ascensio figurabatur quia qui descendit ipse est et qui as
cendit ; Et ut psalmista ait a summo caelo egressio eius et occursus
eius usque ad summum eius ;

APPARUIT AUTEM ILLI ANGELUS STANS A DEXTRIS ALTARIS INCENSI

Bene angelus et in templo et iuxta altare et a dextris apparuit ; Quia
uidelicet et ueri sacerdotis aduentum et misterium sacrificii
uniuersalis et caelestis doni gaudium praedicat ; Nam sicut per si
nistram praesentia sic per dexteram saepe bona perpetua signantur ;
Iuxta quod in sapientia laude canitur ; Longitudo dierum in dex
tera eius in sinistra illius diuitiae et gloria ;

ET ZACHARIAS TURBATUS EST UIDENS ET TIMOR INRUIT
SUPER EUM. AIT AUTEM AD ILLUM ANGELUS. NE TIME
AS ZACHARIAS QUONIAM EXAUDITA EST DEPRECATIO TUA

Trementem zachariam confortat angelus quia sicut humanae
fragilitatis est spiritalis creaturae uisione turbari ita angelicae
benignitatis est pauentes de aspectu suo mortales mox blandi
endo solari ; At contra demoniacae ferocitatis est quos sui praesen
tia territos senserit ampliori semper horrore concutere ;
Quod nulla melius ratione quam fide superatur intrepida ;

ET UXOR TUA ELISABETH PARIET TIBI FILIUM ET UOCABIS

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_267_f126r – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5273)